



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Nucleus Casuum Conscientiæ Sive Brevis Notitia Eorum  
quæ scitu vel necessaria, vel valde vtilia sunt  
Confessarijs in primo ingressu ad audiendas Confessiones**

**Agostini, Giuseppe**

**Coloniae Agripp., 1644**

De Detractione.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41767**

non datur ordo inter illos; tunc omnes tenentur ad restitutionem, etiam si dimidia illorum pars satis fuisset ad condemnationem: non enim est maior ratio vnius, quam alterius. Idem dicendum est de falso testimonio extrajudicium: tenetur enim talis ad restitutionem famæ, & aliorum damnorum, quæ sunt consecuta.

*De Detractione, & Murmuratione.*

4 **H**VC etiam pertinet peccatū detractionis. Est enim detractio veluti quoddam priuatum testimonium criminis, & infamæ alterius: & committitur, cum aliquis verbo dicit aliqui nocium famæ alterius, siue falsum, siue occultum: nam, si sit publicum; non est detractio, nec contra iustitiam: licet possit esse contra Charitatem, si dicatur ex contemptu, & vilipendio proximi, & in materia graui, & ex aliquo interno odio personæ; & in vtroque casu criminis falsi, vel occulti tenetur ad restitutionem famæ, & damnorum.

; Re



5 Reuelare aliquod crimen occultum alicui prudenti viro, aut valde coniuncto, qui seruaturus sit secretum, ob aliquem bonum finem; aliqui putant non esse peccatum, saltem mortale: quod est probabile.

6 Murmuratio absque antecedenti detractio, tunc est, cum aliquod factum publicum, quod alioqui in bonam partem esset accipiendum, aut posset accipi; aliquis in malam partem accipit, calumniando personam cum aliquo dispendio illius, & querelis, vel certe exaggerando ultra meritum aliquod factum malum publicum. Eodem modo, & potest esse mortale, tum ratione sui, si materia, & res esset grauis, & persona publica, & calumnia grauis: tum ratione effectus, si grauis aliqua perturbatio sequeretur in proximis, & graue aliquod malum. Si autem delictum esset falsum, aut occultum; tunc simul esset detractio, si fingeretur, aut publicaretur, & murmuratio. Et circa hæc peccata aduertendum est non solum peccare, qui loquuntur, sed etiam qui audiunt: si illi consentiant, & sibi complacent in tali detra-

N 2 ctione,



ctione, & præbeant ansam detractioni  
aut si sint causa detractionis. Agunt  
Detractione, & Murmuratione Tolet.  
c. 63. Less. lib. 2. c. 15. dub. 2. Azor. 20. 3. l. 1.  
cap. 6. Filliuc. tom. 2. tr. 40. c. 3. & 4. Bon.  
tom. 2. disp. 2. quest. 4.

### De Iudicio Temerario.

7 **H**ic etiam spectat peccatum I  
dicij temerarij: non enim solum  
prohibemur falsum crimen imponere  
proximo, sed neque temerè interius  
dicare de illo. Hic autè hæc omnia pe  
sunt distingui: iudiciū, opinio, suspicio  
& dubium. Iudiciū in re nostra tunc  
cū aliquis certò affirmat, saltem ma  
raliter, aliquod malum de proximo  
sufficientibus indicijs ad taliter iud  
candum: & hic est perfectus actus in  
materia, & est peccatum mortale, si  
sit paruitas materiæ, aut imperfecta  
liberatio, & inaduertentia.

8 Opinio temeraria est, cū quis  
non iudicat certò malum de proximo  
sed probabiliter adhærendo vni parti  
sine sufficientibus indicijs ad talem  
hæsi



hæfionem. Suspicio est leuis opinio, etiam sine sufficientibus indicijs, ad ira leuiter suspicandum. Dubium est duplex, aliud Positiuum, cum scilicet aliquis actu positiuo dicit hanc, vel illam rem esse dubiam, & non adhæret alteri parti, & hoc etiam facit sine sufficientibus indicijs. Dubiũ Negatiuum est cum quis suspendit iudicium, nihil positiuè affirmando, vel negando.

9 Vniuersaliter ergo ad temeritatem requiritur, vt indicia non sint sufficientia respectiuè ad eum actum intentionem, quem elicimus. Vnde potest esse, vt indicia, quæ non sunt sufficientia ad iudicium, sũt sufficientia ad opinionem, aut suspensionem. Et præter iudicium, probabile est alios actus numeratos temerarios nõ esse peccata mortalia, propter imperfectionem actus; maximè si indicia non sint valde insufficientia. At in rebus Fidei dubitare positiuè, & deliberatè, & scienter; est hæresis. Agunt de iudicio temerario *Bonac. loc. cit. q. 8. A- 70r. tom. 3. lib. 13. c. 11. Less. lib. 2. c. 29. dub. 2. Filliuc. to. 2. tr. 40. cap. 1.*



## De Iniurijs, &amp; Contumelijs.

10 **S**implici detractioni sæpè adiungitur conuicium, & contumelia in proximum: cum scilicet falsum crimen, aut malum imponitur proximo per verba iniuriosa, procedètia ex interno aliquo odio, aut ira, aut inuidia in illum: Et tunc non solum peccatur contra iustitiam; sed etiam peculiari modo contra Charitatem. Vndè si crimen sit publicum, est peccatum solum contra Charitatem, iuxta qualitatem materiæ, & personæ. Vbi aduertendum est, quòd licet interdum iniuriæ contineant falsa mala, aut crimina proximi; tamen non peccatur contra iustitiam, consideratis personis, & locis, & consuetudinibus prauis: quia solent talia dici, non quia vera sint, aut iudicentur ab alijs, vt vera, sed ex vsu: neque ex his sequitur infamia proximi, quia non datur illis fides, sed creduntur progredi ex aliquo malo animo, aut vsu, aut ex impetu quodam leuis etiam excandescentiæ, Et sic sæpè excusantur à mortali, saltem

con-



contra iusticiam, rustici, & pueri, & milites, & similes, nec tenentur ad restitutionem, sæpè tamen peccatur contra Charitatem, iuxta dispositionem animi iniuriâti. Qui sic grauitè alium offendit; tenetur illi reconciliari petendo veniam, aut ostendendo signa amicitia, aut quid simile, iudicio Prudentum. Agunt de contumelia, & alijs illi adnexis *Filliuc. loc. cit. c. 3. Azor. tom. 3. lib. 13. c. 5. Tol. l. 5. cap. 9.*

II Superiores, si in aliqua iniuria excellerint, reprehendendo subditos; non tenentur petere veniam: sed alio modo reconciliari, ostendendo alia signa beneuolentiæ, &c.

## DE VLTIMIS Duobus Præceptis Decalogi.

### *De Delectatione morosa.*

I **H**is ultimis præceptis continetur prohibitio mali desiderij, siue circa bona alterius, siue circa

N 4                   alie-